

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Aliqvot // [Aliquot] Epistolæ Reverendi // Patris Piæ  
Memoriæ D. // Martini Lutheri quibusdam Theologis // ad  
Augustana comitia Anno 1530 scri//ptæ**

**Luther, Martin**

**[S.l.], 1549**

**VD16 L 3724**

Doct. Mart. Luth. ad Philip. Melan.

**urn:nbn:de:bsz:31-61767**

heißt *Altiora te ne quaesieris*, Et, *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria*, Seu ut hebraeus habet, *Scrutans grauiora grauatur*. Hoc ad te pertinet *Dominus Ihesus seruet te, ne deficiat fides tua, sed crescat & uincat, Amen*. Ego pro te oro, orauit, & orabo, nec dubito, quin sim exauditus. Sentio enim illud *Amen in corde meo*. Si non fiet quod uolumus, fiet tamen quod melius est, nam nos regnum futurum expectamus, ubi omnia sefellerint in mundo. Vltimo Iunij. 1530.

DOCT. MART. LVTH.  
ad Philip. Melan.

3. **G**ratiam & pacem in Christo, In Christo (inquam) & non in mundo, Amen. De Apologia silentij uestri aliàs mi Philippe. Ego tuas maximas curas, quibus te scribis consumi, uehementer odi. Quod sic regnent in corde tuo, non est magnitudo causæ, sed magnitudo incredulitatis nostræ. Nam eadem causa maior fuit sub Ioanne Hus & multis alijs, quàm sub nobis. Deinde ut sit magna, magnus est actor & author eius, neq; enim nostra est. Cur igitur sic perpetuo & sine respiratione te maceras? Si est causa falsa reuocemus, Sin uera est, cur facimus illum in tantis promissis mendacem, qui iubet nos esse animo ocio-

se &

fo & dormiente? Iacta inquit curam tuam super  
Dominum. His qui tribulato sunt corde prope est  
Dominus omnibus qui inuocant eum. Num ista in-  
uentum loquitur, aut ad bestias proicit? Ego eti-  
am sepius concutior, sed non perpetuo. Philosophia  
tua ita te uexat non Theologia, ea quæ & Ioach-  
inum tuum, qui mihi simili cura rodi uidetur.  
Quasi uero ista inuili cura quicquam efficere pos-  
sitis. Was kan der Teuffel mehr thun/  
benn das er vns tödte? Obsecro te qui in  
omnibus alijs pugnax es, luctare contra teipsum  
maximum hostem tuum, qui Sathana tantum arma-  
rum contra te ministras. Christus pro peccatis  
mortuus est semel, At pro iusticia & ueritate non  
moriatur, sed uiuit & regnat. Si hoc uerum est,  
quis metus est pro ueritate si ille regnat? At pro-  
sternetur per iram Dei, prosternamur & nos si-  
mul, sed non per nos. Qui pater noster factus est,  
erit etiam liberorum nostrorum. Ego certe pro te  
oro diligenter, & doleo te pertinacissimam cura-  
rum hircinam meas preces sic irritas facere. Ego  
quidem quod ad causam attinet (stupor ne sit an-  
te spiritus uiderit Christus) non ualde turbatus sum,  
immo spe meliore, quam speraueram fore. Potens  
est Deus mortuos suscitare, potens est & causam  
suam labentem seruare, lapsam erigere, stantem  
promouere. Si nos digni non erimus fiat per alios.

Iob. 4. I.

Si enim nos illius promissis non erigimur, obsecro, qui sunt iam alij in mundo, ad quos ea pertineant? Sed alijs plura, nisi quod in mare aquam porto. Christus Spiritu suo uos omnes soletur, roboret, & doceat Amen. Si audiero rem male affectam apud uos fore, & periclitari, uix continebo quin aduolam, uisurus gyrum istum dentium Sathane formidabilem, ut scriptura dicit. Ex Eremita nostra, feria secunda Ioanis. 1530.

DOC. MARTINVS LV-  
therus ad Philip. Melantheo.

9.

GRatiam & pacem in Christo. Mirabar hoc si sic abiret, mi Philippe, quod hos abitros illi ferre potuerint, & amice de causa tentarint tractare, obsecro quid ibi non est insidiarum & dolit? Habes nunc campum regium, habes Saltzburgium, habes plane laruos illos monachos Spire Rhenum transuectos. Quid enim ego minus unquam speraui? Et quid adhuc minus opto, quam ut doctrina concordia tractetur? Quasi uero nos papam deijcere possimus, aut quasi saluo papatu nostra doctrina salua esse possit. Ille scilicet sedus & pactum simulat, ut papa maneat, uult concedere & permittere, si faciemus &c. Sed Deo gratia quod uos nihil recepistis. Seribis Eccium a te esse

Alludite  
ad spe-  
ctra ibi  
uisa in  
monasti-  
ca ueste.